D. O. M.

V. Q. M. & D. L. O. M. P. O. Q. C. Q. F. F. F. Q. S.

QUÆSTIONES MEDICÆ.

QUÆSTIO THEORICA

Quomodo fiat partium nutritio.

I.

COMMUNISSIMA animæ vegetantis functio est nutritio. Nam non solum ipsâ vitiatâ cœteræ vitiantur functiones, & in ipsâ generatione & accretione requiritur, licet ab utrâque reverâ dinstinguatur, sed etiam omnibus animatis quamdiu vivunt necessaria est conservationis gratiâ. Cum enim substantia corporis animati in continuo defluxu sit, nisi quod defluxu illo deperditum est reparetur, diu subsistere non potest: verum omnes partes corporis humani compositionem ingredientes, flexiles sunt ut libere agere, variosque motus exercere possint; quæ flexibilitas debetur liquido prædictas partes irroranti, & à continuo motu cordis in varia partium vasa propulso; quod absque maximo motu fieri nequit. Dum enim vasa liquido quopiam replentur, aliquatenûs distenduntur & agitantur, quibus violentis & continuis motibus attritta, humorumque præterfluentium affrictu quædam vasorum corpuscula abrasa, jacturas patiuntur quæ affluentibus liquidis abripiuntur. Suas pariter jacturas patiuntur liquida, tum evacuatione sensibili tum insensibili transpiratione, quæ sola si Sanctorio credamus, ipsiusque experimentis fidem adhibeamus, omnes sensibiles evacuationes quantitate excedit: quæ jacturæ nisi citô reparentur, brevi periturum animal cuilibet attendenti evidenter satis patet. Quare necessaria ante omnia erit nutritio, quæ id quod deperditum est restituit, & individuum quantum natura patitur, ab interitu conservat. Est autem nutritio, partium animati corporis dispendii restauratio: quæ diversa erit pro majori vel minori succi nutritii copiâ. Sicut enim ii qui succo nutritio abundant, accrescunt & obæsi deprehenduntur, sic & pariter ii in quibus paucus est extenuantur, & atrophiâ marasmoque consumuntur. Modô tamen resarciendis solummodò scrobiculis sufficit, hæcque nutritionis simpliciter nomen retinet. Ut autem hæcce functio faciliùs & clariùs innotescat, perpendendum quænam materia jacturas omnes à causis jam jam recensitis illatas reparare possit, qualis esse debeat, & quomodò illa materia nutriendis partibus dicata accrescat; ut verò damna resarcire possit, tenuis admodum esse debet, ut in partium fatiscentium loculamenta facile possit insinuari, variisque aliis dotibus pollere debet ut inferiùs videbitur.

II.

CUM ex dictis humor nutriendis partibus dicatus tenuis esse debeat, facile concipitur chylum ad hoc non esse dicatum; constat enim partibus crassioribus, ut scrobiculos pervadere possit: eâdem quoque ratione sanguinem nutriendis partibus parum vel nullatenûs inservire evidens est. Viscosus præterea esse debet & ope caloris difflato superfluo phlegmate densari, partiumque nutriendarum firmitatem adipisci: constat autem chylum calore nullomodò concrescere, ergò & illâ ratione chylus partes nutrire nequit. Partibus quoque concolor, insalsusque esse debet, ne partes nutriendas irritet, tendat, & dilaceret. Insuper cum in omnibus nostri corporis partibus fiant continuò deperditiones, in illis ergô omnibus ut individuum conservetur debent fieri reparationes; succus ergò nutritius in omnibus & singulis corporis universi partibus debet reperiri, ibique lentè moveri, ut faciliùs in partium rimas introduci possit. Illæ autem omnes qualitates quæ in succo nutritio desiderantur, evidenter satis demonstrant lympham solam nutriendis partibus, reparandisque dispendiis aptam esse; omnibus enim dotibus enumeratis pollet: tenuis namque propemodumque insalsa deprehenditur, ignisque calore in albicantem offam induratur. Præterea partibus concolor universalisque est & lentè movetur: Ergo cum in solâ lymphâ jam laudatæ qualitates reperiantur, rejectâ numerosâ plurium succorum nutritiorum catervâ, lympham solam nutritioni inservire concludendum. Cùm autem lympha segniter admodum per vasa provolvatur, in rimas fatiscentium staminum facile introducitur, ipsisque applicatur, & calore qui singulis partibus inest, concrescit & induratur. Diversimodè tamen in variis subjectis fit nutritio: Illi enim quorum fibræ laxiores, pingues, quorum verò fibræ validiores sunt, minùs pingues vulgò evadunt. Eodem autem modo quo corpus nutritur quando reparatio deperditioni respondet, & scrobiculi à causis jam suprâ allatis facti simpliciter resarciuntur; ità & pariter corpus accrescit quandò abundat succus nutritius, & restauratio deperditionem excedit. Dum enim lympha in partium rimas magnâ quantitate introducitur, scrobiculos replet, ipsos dilatat & ampliat, ibique concrescit, & in meram partium substantiam commutatur. His autem sic de partium nutritione & accretione breviter prælibatis, ipsarum decrescentiam vel extenuationem in sequentibus explicare juvat.

III.

QUEMADMODUM accretio propria est pueris & adolescentibus, quod succo nutritio abundent, ipsorumque partes molles & obsequiosæ sint, adultisque simplex nutritio; quod scilicet partium stamina in hâc ætate indurentur: Sic & pariter extenuatio & decrescentia senibus propria est; tunc enim depressis & concidentibus poris exinanitis, extenuatur & marcescit corpus, fibræ indurantur & rigescunt, vasa minima lymphæ devehendæ dicata collabuntur pariterque rigescunt, & lympham ibi delatam propter rigescentiam ulteriûs propellere nequeunt; ibi ergò moram trahere debet, & per moram in illis vasis concrescit, inspissatur, ac tandem vasorum majorum & vicinorum motu, partibus aqueis lymphæ difflatis induratur, & vasa in quibus sic colligitur & cumulatur penitûs obstruit, quæ lymphæ ampliùs suscipiendæ & devehendæ inhabilia prorsùs evadunt; sic que sensim labefactatis functionibus omnibus mors necessariò subsequi debet. Verum ubi parum vel nihil succi nutritii partibus apponitur & agglutinatur, atrophia oritur; nutritio enim quæ prorsùs non fit, aut infrà justum modum, atrophia, quæ verò depravatè & vitiosè, cacotrophia appellari solet. Aliquandò autem à vitiosis lymphæ qualitatibus potiùs quam senili ætate dependet partium extenuatio, corporisque marcor: Ut si pauca, crassior, viscidiorque sit, & reparandis partium jacturis non sufficiat, in strictosve nutriendarum partium poros facilè penetrare nequeat. Si pariter aquosior, tenuiorve sit: Tunc enim partibus adhærere non valet. Quandò etiam acrior est, partes rodendò extenuare capax est. A suppresso pariter spirituum fluxu fit partium extenuatio, ut observare est in paralysi, tunc enim partium pori concidunt & collabuntur: præ flacciditate autem ad lympham intûs suscipiendam nullatenùs hiant, ergo nulla tunc vel minima reparatio, & succi nutritii appositio fieri potest. Fit pariter extenuatio quandò ab uberiori spirituum influxu pori constringuntur, ut in doloribus Rheumaticis, quibus si diutiûs perseverent, membra extenuari compertum est. Ex dictis patet tres admitti posse nutritionis periodos, accretionem nempè quâ corpus in omnem dimensionem crescit, nutritionem simplicem quâ in eodem statu corpus conservatur, decrescentiam demum & extenuationem quâ corpus marcescit & corrugatur, nihilo-minùs tamen conservatur. Ergò juxtâ explicationem de his omnibus allatam concludimus,

Ergò nutritio fit per appositionem succi nutritii.

QUÆSTIO PRACTICA.

An hæmoptysi sanguis hirci præparatus.

I.

LICET proceres varii hæmoptoës nomine omnem Sanguinis per os excretionem intellexerint, nos tamen usui Medicorum recentiorum assentientes, restringimus hanc denominationem ad illud Sanguinis sputum quod è tracheâ arteriâ, bronchiis vel interioribus pulmonum emanat. Unde non male definietur hæmoptysis, *expectoratio* Sanguinis plerumque spumosi, qui è partibus memoratis tussi rejicitur. Idiopathica autem vel symptomatica esse potest, si enim pulmones primariò afficiantur idiopathica dicitur, symptomatica verò dum alium sequitur morbum, vel alibi suppressam Sanguinis evacuationem. Talis verò *expectoratio* fieri non potest, nisi Sanguis in tubulos aëreos effundatur, neque idem Sanguis in hos effundi potest, quin apertis quocumque modo vasis, aliqua ipsi pateat via, quamque dupliciter patere posse censemus. 1° Nempe per ruptionem vasorum pulmones constituentium rixi vel diabrosi factam. 2° Per dilatationem vasculorum humori bronchiali secernendo inservientium. Sanguis autem hisce viis cavo tubulorum pulmonalium semel effusus, eos irritat, quâ irritatione promoventur potentiæ expirationem efficientes, quibus in actum redactis, Sanguis effusus foras ejicitur sub sputorum formâ: proindeque sub hoc respectu, causa proxima sputi *Hæmoptoïci* est valida actio organorum expirationi inservientium, à Sanguine extravasa effuso inducta. Causæ verò remotæ desumuntur ex vitio solidorum vel fluidorum, vel utrorumque. 1°. Ex vitio solidorum, ut si quis casu, vel naturâ, pulmonum debilitate, laxitate, vel quovis alio vitio laboret; tunc enim vasorum pulmonalium aperturam vel levi datâ causâ necessariò futuram nemo non videt. 2°. Ex vitio Sanguinis, si sit copiosior ut in plethorâ legitimâ, vel nimis rarefactus ut in spuriâ, vel etiam nimis intendatur ejusdem circuitus. Tunc enim vasa pulmonum præcæteris totius corporis ob nimiam laxitatem, majoremque Sanguinis appulsum distensa, ac ultrâ tonum delata, datam Sanguinis quantitatem, singulis cordis ictibus acceptam exprimere non possunt; debet idcircò Sanguis in pulmonibus stagnare & congeri, ac tandem debent rumpi vasa. Sanguis pariter qualitate peccans hæmoptysi ansam præbere potest, ut si nimis acer, aut particulis corrodentibus onustus sit. Quæcumque autem recensita Sanguinis vitia valent producere, ex abusu ex rerum non naturalium desumi possunt.

II.

EX suprâ allatis sputi sanguinolenti causis, ipsius symptomatum explicatio, vel leviter attendenti facile innotescet; ex omnibus tamen ea tantùm quæ essentialia sunt, vel frequentius accidunt, explicare juvat. Adest itaque *expectoratio* Sanguinis: is enim intrâ vias aëreas semel effusus, per validam expirationem ab irritatione concitatam, cum aëre exiturienti sursum elevatur ac spuitur. Sanguis autem in locis memoratis collectus, continuo aëris ingressu & egressu conquassatur, multifariamque agitatur: unde spumosus plerumque evadit. Insuper *extravasatus* Sanguis vesiculas pulmonales & bronchia replet, quæ ab alieno corpore repleri nequeunt, quin liber aëris ingressus & regressus præpediatur, hinc respirandi difficultas; quæ constans erit si proportione eâdem quâ per *expectorationem* spuitur extravasa effusus, novus subitô Sanguis per aperta vasa effusus, prioris locum occupet; secûs verò per intervalla libera erit respiratio. Ille idem Sanguis ratione caloris, acrimoniæ & ponderis irritat tubulos tracheæ, unde subsequitur subitanea, sonora & quasi convulsiva expiratio quæ tussim constituit. Per symptomata autem jam recensita facile cognoscitur hæmoptoë, & ab omnibus aliis affectibus quibus cum confundi potest per signa cuilibet propria facile distinguitur: differt enim à vomitu Sanguineo, in eo quod Sanguis qui vomitu rejicitur nigricans plerumque appareat, & sæpiûs materiebus in ventriculo contentis conspurcatus; aliundè citrâ tussim ejicitur, nulla adest respirandi difficultas, persentitur ventriculi dolor, nisusque vomitorii excitantur, quæque omnia non observantur in hæmoptysi. In aliis pariter sputi cruenti speciebus nulla respirandi difficultas deprehenditur, & citrâ tussim per solam sputionem Sanguis ejicitur. Præterea hujusmodi affectus per solam inspectionem, causarumque notitiam sæpiûs dignoscuntur. Porrò in peripneumoniâ longè major est difficultas respirandi, magisque intensa doloris sensatio: febris etiam morbos acutos & inflammatorios tanquam individuus comes semper concomitatur. Hocce affectu juvenes sæpius quam senes laborant juxtâ HIPP. APH. XXIX. LIB. III. *juvenibus autem sputiones Sanguinis accidunt, non ratione ætatis, sed quia aut percutiuntur, aut contunduntur, aut saliunt, aut clamant vehementiûs, aut refrigerantur & humi cubant, aut replentur.* Inquit Galenus.

III.

SANGUINEM suprà ferri, qualiscumque sit, malum: juxtà HIPP. APH. XXV. LIB. IV. Eum autem sanguinem suprà ferri intelligit, qui per os excernitur, ut Galenus exponit. Terrifica quippè sanguinis per os spontanea eruptio, quia hæc pars huic operi non est dicata. Hæmoptysis non modo inter alias sanguinis excretiones, verumetiam inter alios præter naturam affectus, periculosior existit; nam pessimorum longorumque morborum magnâ ex parte causa redditur; variat tamen sputi sanguinolenti prognosis pro variis causarum circonstantiis: dum enim sanguis ex ore, gingivis & faucibus profluit, periculo vacat. Difficilis verò atque gravior curatione ex pulmone fluens sanguis accipitur, ob juge spirationis officium. Rursùs hæmoptysis à vasorum diabrosi, majus portendit periculum quàm ab illorum simplici rixi oriunda; vasa enim erosa difficillimè admodum agglutinantur, & omnium remediorum vim haud rarò eludit hæcce hæmoptyseos species, & ferè semper in pulmonarem phtysim aut alios affectus morte terminandos convertitur. Hæmoptoës autem curativæ indicationes in eo potissimùm versantur, ut nempè vasa rupta, aut quomodocumque aperta coalescant, simulque auferantur causæ ipsorum aperturam foventes. Hæcce prima indicatio adstringentium & agglutinantium ope facile adimpletur: verùm ad auferendas causas aperturam foventes, varia usurpanda sunt remedia, varia scilicet pro varietate causarum; si enim à plethorâ, tum verâ, tum falsâ producatur, diversa sanè instituenda est therapeia; phlebotomia enim tunc temporis celebranda, refrigerantia & diæta tenuis, demùm ea omnia quæ sanguinis molem imminuere, æstum ac motum ejusdem compescere valent præscribenda. Cum verò humorum accrimonia huicce affectui producendo suum nonnunquam conferat symbolum, corrigenda illa vitiata qualitas; quo in casu diæta media, refrigerans & demulcens præscribenda; eaque omnia quæ sanguinis motum & æstum adaugere valent cautè fugienda sunt, & tanquam inutilia, vel potiùs noxia, in hæmoptyseos curatione rejicienda. Cum autem sanguis hirci præparatus, (id est exciso scroto per arterias spermaticas exceptus, in vase collectus, dein verò coagulatus;) inter sudorifica jure annumeretur, & constet partibus tenuibus, volatilibus & penetrantibus, parumque inter se unitis, quæ sanguinis oceanum facile pervadere, ipsum dividere, ipsiusque motum & æstum adaugere valent, huic affectui curando nullo modo conferre censemus; sudorifica enim agunt dividendo atterendoque sanguinem, ipsiusque motum & æstum adaugendo; quæ remedia si hæmoptoë laboranti præscriberentur, majorem ultrà vasorum ruptionem producerent, aliique subsequi possent affectus hemoptoë graviores, unde pronum est concludere,

Ergo hæmoptysi sanguis hirci præparatus non convenit.

ORTHODOXA.

Qui respirat vivit.
Retina est visûs organum.
Corpus humanum constat fluidis & solidis.

AMPHIDOXA.

An generatio ab ovis.
An à particulis ignitis musculorum contractio.
An monstra à læsa matris imaginatione fiant.

PARADOXA.

Nullus homo moritur.
Opium somnum tollit.
Stomachus non digerit alimenta.

Has Theses (Deo Optim. Maxim. & Virgine Dei-Parâ faventibus) *pro adoptione in Facultatem Medicam Pictaviensem propugnabit* LUDOVICUS-PAULUS MORLON, *Pictaviensis, Doctor Medicus Monspeliensis, die solidâ primâ Mensis Martii anno Dom.* 1735.

IN SCHOLIS MEDICORUM.

PICTAVII, Apud LUDOVICUM GILLET, Typog.